

D E O D O C E
M E D I T A T I O S. E V A N G E L I I.

DOMINICÆ XXII.
POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiores textus, cum opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia

P R E S I D E

DN. ÆSCHILLO PETRÆO.

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore;

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Junji 16. Anni 1652.

ERICUS J. THUVÆUS SUDERMANNUS.

Hieron. in Matth.

Familiares est Syris & maxime Palæstinis ad omnem sermonem tuum parabolas iungere;
ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem
exempla; teneant. Præcepit itaq; Petro sub comparatione Regis & Domini
& servi, qui debitor decem millium talentorum, a Domino rogans, veniam
impetraverat: Ut ipse quoq; dimittat conservis suis minora peccantibus.

Theophylactus in Matth.

Videntur hi conservi esse Angeli osores mali & amantes boni; nõ quod ignorantia Domino
hæc dicant, sed ut tu discas quod angeli sint, & quod in humanis & immisericordibus
indigentur.

A B O Æ,

Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1652.

Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis DOMINIS

**DN. ISRAELI Lagerfeldt/
de Wiggbyholm/ &c. Regij Parlamenti in magno Du-
catu Finlandiâ Vice, Præsidi Gravissimo.**

**DN. MAGNO Rhalam Sköldh/
Regij ejusdem Dicasterij Assessori consultissimo.**

N E C N O N

Experientissimis, prudentiss: Spectatiss: & Præstantiss: VIRIS
**Dn. Jacobo Andreæ. Vecti-
galium majorum Aboæ Præfecto Expeditissimo.**

**Dn. Haquino Andreæ O-G. Inf: cu-
riæ Aboënsis Not: & Judici æquissimo, ut Hospiti &
Nutritio Liberaliss: ita Patris instar honore afficiendo.**

**Dn. Johanni A. Frisio. Legionis
peditatum, Chiliarchi Gen: D. Joh, Ridders/ Pa-
tori Laudatissimo,**

**Dn. Andreæ Laurentij Stirenio.
Universitatis Aboënsis Optimarum artium sectatori
indefesso, ut Patriotæ Svaviss: Ita Fautori colendo, amando.**

*Dñis Mæcenatibus, Promotoribus & Fautoribus suis,
humili cordis affectu suspiciendis & colendis. Exer-
citiū hocce Theol. humiliter & perofficiose
inscribit & offert.*

ERICUS J. THUVÆUS Respondens.


 OOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOOO

MEDITATIO TEXTUS
DOMINICÆ XXII. POST
TRINITATIS.

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, filii,
& Spiritus Sancti Namine.

E *Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum, in conspectu oculorum ejus. Cum sancto Sanctus eris, cum bono n., bonus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: Et cum perverso perverteris. Quoniam tu populum humilem salvum facies; Et oculos superbiorum humiliabis.*

Psal: 18. v. 25. 26. 27. 28. Quibus verbis docet David Imò quod omnes homines sint peccatores, ex se & suâ naturâ & quod etiam alij sint alijs deteriores & perversiores, alij magis laxant fræna suis cupiditatibus iræ & vindictæ: alij iterum mitiores & mansuetiores. Secundò. Docet etiam David his verbis, quod Deus diversimodè se segerat erga mites & mansuetos, & diversimodè erga præfractos & contumaces & immisericordes. Hoc indicat David dicens: Retribuit mihi Dominus juxta justitiam meam secundum manuum mearum puritatem corâ oculis ejus. Cum Sanctis Sanctus es, cum mundis mundus es, cum perversis perversus es, tu humilias elatos oculos. Quibus verbis Psalmista hoc docet, quod Deus non approbet perversitatem hominum, illorum Super-

bia, sed quod illam puneat, severè ut sentiant perversi homines Dei vindictam, ac propterea murmurent & Deum ut perversum blasphement. Et quod Deus benè agat cum hominibus mansuetis & humilibus, & eos liberet de manu inimicorum suorum. Vult ergo Psalmista nos in his verbis docere deponendam esse omnem truculentiam & immisericordiam erga proximum, remittenda debita proximi nostri ut nobis Deus nostra debita remittat. De hoc etiam monemur in hodierno Evangelio.

O Remus autem Deum, ut hodiernum Evangelium ita meditari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae, & honorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noster, &c.

EVANGEL: Scribit S. Matth. cap. 18. v. 23.

Ideò ad similitudinem est regnum caelorum homini regi, qui voluit conferre rationem cum servis suis. Et quum capisset conferre, oblatum est ei unus qui debebat ei decem millia talentorum. Ceterum quum is non esset solvendo, iussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & liberos, & omnia quae habebat, ac fieri solutionem. Procidens autem servus ille, adorabat eum dicens: Domine, esto patiens erga me, & omnia tibi reddam. Misertus autem Dominus servi illius, absolvit eum, & aes alienum remisit ei. Egressus vero servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat sibi centum denarios: Et injecta in eum manu, obtorto collo trahabat, dicens: Solus quod

a. b. c.

debes. Et proci dens conseruus ejus rogabat eum, dicens: Esto ptiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat: Sed abiit, & conjecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porro quum vidissent conserui ejus quæ fiebant, indoluerunt valde: Et venerunt, aperueruntq; Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc accersit illum Dominus suus, & ait illi: Serue scelestè, totum debitum illud remisi tibi, quum obsecrasses me: Nonne oportuit & te miseri ri conserui tuis, sicut & ego tui misertus oram? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet totum quod debebatur sibi. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisquè fratri ex cordibus vestris delicta illorum.

PRoponit Christus in hoc Evangelio similitudinem quandam, de Rege quodum aliquando convocante seruos ad reddendam rationem administrati officij. Et quando quidam seruorum deprehensus sit debere Domino suo summam permagnam. Hic cum solvendo non esset, jubet Dominus eum, cum uxore & liberis & omnibus quæ haberet vendj & solutionem fieri. Sed seruus ingenium Domini sui satis cognitum perspectunq; habens, illud pronius esse ad misericordiam, quam ad rigorem & summum jus, proci dit in terram, petit dilationem, promittit se omnia soluturum, atq; hac ratione pro immenta bonitate, non solum impetrat, sed etiam tortus debiti condonationem. Exiens autem seruus iste, quasi omnis illius humanitatis immemor, inueniens u-

num suum conseruum, debentem sibi centum denarios,
 promittentem solutionem, breui solum interjectâ morâ,
 sed hic nihil motus illius precibus, sed obtorto collo tra-
 hens, in carcerem coniecit. Referunt hoc mox Do-
 suo conserui inhumanitatem hujus serui erga suum con-
 seruum, mox Dominus iratus, ad se vocatum graviter
 objurgat, duritiem exprobrat, & tortoribus tradit. Mo-
 nemur hoc Evangelio præcepti quinti de dilectione pro-
 ximi, ne ægrè faciamus proximo vel incommodemus,
 sed ipsum promoveamus in omnibus vitæ necessitatibus
 Confirmatur etiam articulus fidei nostræ, de Rege no-
 stro Jesu Christo venturo ad judicandum vivos & mor-
 tuos in extremo die. Excitatur etiam ad orandum,
 dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debi-
 toribus nostris.

P A R T E S.

1. *Quomodo hic seruus debitor, condonationem sui debiti à Domino suo impetraverit.*
2. *Quomodo in indignationem & iram Domini sui incurrerit, & propter prius condonatum debitum in carcerem sit coniectus perpetuum.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & sim-
 pliciter tractare constituimus: Omnipotens & aternus,
 Deus, Pater noster celestis dilectissimus, nobis omnibus benedi-
 cionibus suis, utiliter & fructuose cedere faciat.

P A R S P R I M A.

In qua meditatur:

I. **Servi debitoris ad reddendam**

dam rationem. vocationem. De hac loquitur Christus, dicens: Simile regnum Cœlorum homini regi qui voluit conferre rationem cum servis suis. Et cum incepit conferre rationes oblatuſ est ei unus, qui debebat ei decē millia talenta. Vult Christus dicere in Ecclesiastica politica periode agitur cum peccatoribus vindictæ cupidis, quafi cum Rex quispiam, aliquando velit rationes à servis suis exigere, quomodo bona & proventus ipsius tractaverint.

L. C. Deus omnipotens creator cœli & terræ intelligitur per hunc Regem volentem conferre rationem cum servis suis. Ille est summus Rex, ille est Rex Regum & Dominus Dominantium, per illum regnant Reges, ille transfert regna de gente in gentem, Reges constituit & deponit. Quando meditantur inania, quando dentes fremunt, quia Reges terræ surgunt, & principes consulunt una, contra Dominum & unctum ejus, dicentes; Dirumpamus vincula illorum, projiciamus jugum ipsorum à nobis. Tum ille qui in cœlis habitat subsannat eos loquetur ad eos in ira sua, & in suo furore conturbabit eos, percutiet eos virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringet eos. Id eoq; hortatur eos Psalmista Dicens: Intelligite Reges & erudimini qui judicatis terram. Servite Dominum in timore, & exultate ei cum tremore, osculamini filium ne offendatur, & vos pereatis: Nam ira ejus subito exardescet, beati omnes qui confident ei. Psal. 2.

L. C. 2 Sumus omnes hujus maximi & optimi Regis servi, cum quibus confert rationem, sunt totum genus humanum. Omnes enim homines sunt in aere Dei, sunt debitores Dei, neq; quisquam hominum fuit, excepto solo Christo, est, aut erit, qui non sit debitor Dei

h; e. qui sit sine peccato, sicut Paulus inquit: Conclufit
Deus omnes sub peccatum. Item: Omnes peccaverunt & destituuntur gloria Dei. item: Totus mundus obnoxius est peccato. Et psal. 14. Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, similiter inutiles facti sunt, non e qui faciat bonum, non est usq; ad unum; &c. Ideo omnes homines sunt debitores huius Regis coelestis Patris. Rationem confert duplici modo hic Rex: Una erit collatio rationis, quam Deus Pater habebit cum servis suis post hanc vitam in extremo iudicio. cum Angelus veniet cum tuba, & nos omnes mortuos & vivos vocabit, ut quisq; reddat Regi rationem de vita sua transacta, sicut Paulus Rom: 14. ait: Omnes statuemur apud Tribunal Christi. Scriptum est enim vivo ego dicit Dominus, mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Igitur unusquisque nostrum de se ipso rationem reddet Deo, Esa: 45 Et 2. Corinth: 5. inquit: Omnes nos manifestari oportet coram Tribunali Christi, ut oportet unus quisq; ea, quae fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, si ve bonum si ve malum. Hae erit posterior & ultima ratio, quam cum servis suis Rex e habiturus.

Altera & prior ratio, quae hanc, de qua iam dixi, praecedit est, quam Rex, Deus Pater confert in hac vita nobiscum. At quomodo illa confertur? Per verbum seu praedicationem legis. Lex enim est registrum seu libellus iste in quo omnia debita nostra signata & scripta sunt, est chirographum illud, quod est contrarium nobis per decreta. Coloss: 2. Quod si non persolvisti omnia quae debes (est autem debitum tuum & omnium hominum decem millia talentorum, h. e. serva totam legem corde

&

sal 111.

Rao duplex

Una. In
extremo
iudicio

Altera.

Lege

& opere) necesse est (ut hic dicitur in Evangelio) te & Uxorē tuā & liberos, & omnia quæ habes vendari, ac fieri solutionē juxta sententiā jã antea latam: Maledictus omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Sic per prædicationem legis Deus confert nobiscum rationem, & in illa ostendit debitum nostrum, & simul non solventibus comminatur pœnam, quod cum omnibus suis bonis debeant vendi, & tradi tortoribus, h. e. minatur æternam damnationem. Quoties igitur auditis vobis prædicari legem, & pastores vestros vos ad servanda præcepta Dei in onere & adhortari, toties cogitate, adesse præsentem Deum, qui proposita lege, ut rationem registro seu libello per ministros suos à vobis solutionem debiti exigat, h. e. qui vos ad penitentiam, ad agnitionem debiti vestri moneat & hortetur, & cum non sitis solvendo, simul moneat & hortetur ut procidentes Deum adoretis, & ad ejus misericordiam fide & fiducia Mediatoris & intercessoris Domini nostri Jesu Christi remissionem debitorum petatis. Postremo, ut hanc misericordiam, quam Dominus in remittendis debitis vestris vobis præstitit, etiam conferis vestris præstetis, ne iratus Dominus tradat vos tortoribus. &c. Sic auditis per quos homines, & quomodo sua debita Rex, Deus Pater à nobis exigat, nempe per Pastores & prædicationem legis. Exigit quidem Deus quotidie diligenter prædicando legē & Evangelium, id quod debetur ipsi à vobis, scilicet agnitio & confessio peccati, fides & bona obedientia, & nos hortatur ad solutionē, simul & comminatur pœnam non solventibus debita, futuram & vendantur cum uxori us, liberis & omnibus quæ habent & tradantur tortoribus Diabolis.

II. Debiti hujus servi quanti-

tatem. Hanc indicat Christus dicens: Oblatum esse unum servum qui debebat et decem milia talenta. Quæ summa continet nonaginta tonnas auri. Debitum ergo tantum vel tam magnam summam quâ nunquam solvere potuisset.

L. C. Ostenditur hæc debiti magnitudine, tot ac tanta esse nostra coram Deo debita, ut nullus hominum sit solvendo. Quodq; nemo mortalium suo ipsius, necdum aliorum peccato coram Deo possit expiari: Itaq; omnibus per eundem fuisset nisi filius Dei incarnatus nos suâ mortè redimisset: Non solum nos ipsi propter peccata, verum etiam nostra omnia subjacent maledictioni. Sic enim Scriptum est: Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, &c. Maledictum erit horreum tuum, & maledictæ reliquæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta bouum tuorum & greges ovium tuarum. Deut: 28. Hoc tamen non ita accipiendum est, quod liberi propter parentes, aut Uxores propter Maritos damnentur: Sed hæc maledictio in cognatos transijt, tantum in rebus corporalibus ubi & ipsi impietate sua æterna sibi supplicia attrahant. Hoc etiam indicat Christus cum dicit Regem jussisse servum venundari & uxorem ejus & liberos & omnia quæ habebat ac fieri solutionem. Exclusa est itaq; omnis gloriatio nostra. Non habemus quicquam unde gloriari possumus tanquam ex proprio, servi inutiles sumus. Per gratiam Dei sumus quod sumus & sola fide justificamur non operibus. Rom. 3. v. 23. Eph. 2. 8. Rom. 3. v. 28. Galat: 2. 16.

III. Debiti hujus condonatio-

nem. De hac dicit Christus: Procidens autem servus iste, adorabat eum dicens: Domine esto patiens erga me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius, absolvit eum, & æs alienum remisit ei.

L. C. Per hanc Regis clementiam erga servum debitorem se humiliantem confitentem & orantem, pulcherrimè depingitur Dei misericordia erga peccatores. Quæ etiam egregiè describitur à Deo ipso in concione coram Hoſe. Exod: 34. v. 6, 7. Et transiens Jehovah ante eum clamavit Jehovah, Jehovah fortis misericors & miserator, tardus ad iram; & multus misericordia & veritate. Servans misericordiam millibus, auferens iniquitatem, & pravaricationem, & peccatū & qui absolvendo non absolvat, visitans iniquitatem patrum super filios filiorum, super tertiam & quartam generationem. Ideoq; David, hoc artificium cum probè didicisset impetrandi delictorum suorum condonationem, incipit canere, miserere mei Psal: 51. à v. 1. usq; ad 20. Miserere mei Deus secundum Misericordiam tuam, secundum multitudinem miserationum tuarum dele pravaricationes meas, multiplica lavare me ab iniquitate mea & à peccato meo munda n e (quoniam pravaricationes meas ego agnosco, & peccatum meum coram me est semper. Tibi, tibi soli peccavi, & malum in oculis tuis feci) ut justificeris dum loqueris, & sis purus dum judicas. Ecce in iniquitate genitus sum & in peccato concepta est de me mater mea. Ecce veritatē voluisti in rebus: Et in occulto sapientiam scire fecisti me. Et seq:

L. C. 2. Dixit quidam servorum Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, Promisit

plus quam potuit præstare. Dominus autem ejus, illius impotentiam hac in re benè sciens omnia condonavit ipsi. Pontificij varia quæsi verunt, quibus iram Dei placare se posse putabant, sed frustra. Excogitati sunt varij ordines Monastici & affectiones Spontaneæ inventæ, quibus Deo pro admittis, peccatis satisfieri posse opinabantur. Et in Papatu usitata fuit hæc precatiuncula: **p**eto Domine, ut concedas mihi tantum spem hujus lucis usuram, donec pro peccatis meis satisfecero, sed ut seruo illi impossibile erat dissolvere debitum: Ita etiam nostris operibus impossibile est Deo pro peccatis nostris satisfacere, alias Christi satisfactione nihil fuisset opus. Verum sicuti misertus Dominus servi illius dimisit illum liberum, ne venderetur cum familia: Et debitum insus per totum dimisit ei: Ita unica est ratio quâ salvari possumus, ut nimirum Dominus nostri misertus, peccata nobis omnia propter mediatorem Christum condonet neq; enim meritis nostris sed miseratione divinâ salvamur, Tit. 3. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

SECUNDA PARS.

In prima parte habuimus debiti hujus serui quantitatem & quomodo condonationem illius impetraverit: In hac Secunda parte quomodo iterum de novo exigitur ab eo debitum, & ipse propter illud quod solvere non posset, in carcerem perpetuam conjicitur.

In quâ meditamur.

I. Servi hujus morositatem & immisericordiam erga suam conseruum debentem sibi

exiguam summam, h. e. Ut quidam supputant 15. thales
ros monetae argentei: Hunc mox aggreditur, & inje-
cta in eum manu obtorto collo trahit dicens: Solve
quod debes. In his describitur serui hujus nimis rigor &
inhumanitas, quæ & Deo & hominibus desplicet, ut mox
audiemus.

L. C. Caveamus ergo nobis ab hoc nimio & dete-
stando rigore, cogitemus nos esse homines. Levicula
interdum sunt qui proximus noster erga nos comittit, si
cum ijs peccatis conferantur quæ nos adversus Domi-
num cœli & terræ designamus. Induenda charitas quæ
tegit peccata & infirmitates. 1. cor: 13. v. 4. 5. 6. 7. 8.
Charitas patiens est: benigna est: Charitas non invidet
Charitas nō est procax, nō inflatur. Nō est fastidiosa, non
quærit quæ sua sunt nō irritatur nō cogitat malū, non gau-
det de in iustitia sed congaudet veritati: Omnia suffert
omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, Charitas nun-
quam excidit, siue prophetiæ abolebuntur, siue lingvæ
cessabunt, siue scientia, abolebitur.

II. Servi hujus duritiem & im-
placabilitatem. Hanc describit Christus dicens: Et
proci dens servus ejus, rogabat eum dicens: Esto pati-
ens erga me, & omnia reddam tibi. At ille volebat sed
abiit & coniecit eum in carcerem donec redderet debi-
tum. In peccatum peccato cumulat, & se magis exo-
sum reddit omnibus bonis, & suis conservis cum vidisset
enim omnia quæ fiebant, indoluerunt valde aperuerunt
quæ Domino suo omnia quæ facta fuerunt. Reddit
se exosum & invisum Domino suo. Tunc accersivit
eum Dominus suus inquit Christus, & ait illi? Serve

seleste totum debitum illud remisi tibi cum obsecra-
ses me, non oportuit & te misereri conserui tui sicut ut
ego tui miserus eram? Et iratus Dominus ejus, tradi-
dit eum tortoribus quoadusq; redderet totum quod de-
bebatur sibi.

L. C. Quid Christus velit nos ex hac parabola dis-
cere, ostendit dicens sic & Pater meus cœlestis faciet
vobis si non remiseritis quisq; fratri ex cordibus ves-
tris. Sicut etiam hanc Doctrinam Christus initio pro-
posuit in responsione ad quaestionem Petri quaerentis ac-
dicentis, quoties peccabit in me frater meus & remita-
tam ei? Num usq; septies? Dicit illi Jesus: Non dico
tibi usq; septies, sed septuagies Septies. Et ita mox
hanc parabolam proponit de seruo primò accipiente
condonationem debiti sui, sed per suam austeritatem, ri-
gorem & immisericordiam incurrentem in iram Do-
mini sui, & propter debitum in carcerem perpetuum
conjectum. Benè notandum est quod dicit Christus,
si & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis
suis quisq; fratri de cordibus vestris delicta illorū. Vocat
nos fratres inter fratres v. nullum odium, nulla inimicitia
esse debet, sed tam infirmi & corrupto animo sumus,
ut nunquam futurum sit ut ita fraternè inter nos viva-
mus, ne quem vel verbo, vel opere, aut re alia interdum
offendamus.

Qualis igitur vita est, canum & catorum, more in-
vicem, mordere & laceare? Talis vita esse fratrum
non debet, sed ita vita instituenda est, ut ex toto corde
fratribus offensiones & injurias condonemus, & cogitemus:
Cur non remitti levem & minimam offensam
fratri cum Deus remiserit mihi tantam summam debi-
torum & peccatorum; tamensa misericordia, gratis
pro

propter filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, non meo aliquo, sed illius solius merito & intercessione? Cur ergo ego fratri non terenciū, non parvā offensā remittere? Agā toto pectore gratias Deo, quod nū hi tanta mea debita remiserit, & me rursus in gratiā suā receperit, cum millies & iterum millies plures causas habuerit irascendi mihi, & tradendi me tortoribus, quam ego erga proximum meum habeo. Hæc doctrina hujus Evangelij, ad hoc proposita, ut discamus frātere iracundiam, & remittere injurias proximo, & latari, omnia utriq; debita tolli & condonari.

Clementissime Pater exlētis orāus te per Dñm nostrum **JESUM CHRISTUM**, ut des nobis *annūm placabilem ad reconciliationem & condonationem facilem, ne nobis ipsis obstaculo simus quo minus tu nobis nostra dimittas peccata, per Dominum nostrum Jesum Christum Amen.*

Benedictio, & Claritas & Sāpientia, & Gratiarū actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorū, Amen. Apoc. 7: 12.

Q U Æ S T I O N E S.

AN universum tempus consequenda venia, & liberationis à peccatis & peccatorum penis, circumscriptum sit hujus vita terminis? *Aff.*

Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies Salutis, 2. Corinth: 6. Et rursus: Operemur

mur bonum, dum tempus habemus. Galat: 6.
Porro in morte desinit tempus gratiæ, quemad-
modum scriptum est: Constitutum est homini-
bus semel mori: Post autem iudicium. Herb:
9. Ita ut quemcunq; in locum ceciderit arbor,
ibi futura sit. Eccles. 11. Et in novissimo die
quiq; reportabit ea, quæ facta sunt per corpus,
iuxta id quod fecit, sive bonum sive malum.
2. cor; 5.

2. *An Christus adhortatione sua ad condonatio-
nem delictorum & reconciliationem statuat & af-
ferat scelerum & peccatorum impunitatem & li-
centiam?* Resp. *Negando.*

Non enim tollitur vindicta Magistratus pu-
niens atrociam scelerum. Rom: 13. v. 1. & seq:
Non frustra gladium gestet Magistratus, sed in
defensionem bonorum, & pœnam malorum.
Non tollitur ministerij Evangelij libertas argu-
endi peccata, & excommunicandi sceleratos
iusto processu servato, qui etiam in hoc capite à
Christo traditur. Nec prohibetur vitupe-
ratio privata quæ fit Sanandi, aut alio-
rum admonendorum gratia.

